

aeris motum dicit, ut suo loco probatum est.

PROP. CCXXIV.

*Explicari potest quomodo aer aui-
bus ad volandum necessarius sit: de
volatu suo loco dicam, nunc breui-
ter indico: certum est, tum corpus,
tum plumas aui volantis eius graui-
tatis esse, qua deorsum infra aera
vtrumque descendat: praeterea cer-
tum est, ita pennas esse compositas,
ut modò contrahi, modò explicari
queant; praeterea certum est, aquam
per cochleare multis foraminibus
perforatum traductam, multum resi-
stere, propter viginem illam, qua
constat; deinde certum est, pluma-
rum pilos tenera quadam lanugine,
seu tenero ac tenui musco adhuc ve-
stiri, cuius tenuissima filamina, ita
inuicem implicantur, ut pilum pilo
connectant, & quasi adglutinent;
hinc ab illo plexu innumeri ac per-
exigui pori relinquuntur; hoc posi-
to, aui, dum volat, pennas ita ex-
plicat, ut deorsum propria vi gra-
uitatis ire nequeat, nisi aer per po-
ros illos traiciatur, nempe à villis
retinetur, ne per ipsam explicatae
alae superficiem effluere possit; adde
quod ala tantulam inferne cavitatem
format, & quosdam veluti calamo-
rum aggeres, ad aera coercendum;
igitur hoc posito, cum maior sit re-
sistentia, qua scilicet pressus aer re-
sistit, ne per praedictos, poros tradu-
catur, cum maior sit inquam, ipsa
vi grauitante volantis, quid mirum,
si praualeat, ac descensum prohi-
beat: hinc quò maius est volucris
pondus, alae maiores sunt; hinc si
cera, vel alius viscosus liquor alis
obducatur, ad volarum ineptae red-*

duntur; hinc fabulam Icaris reicias,
cui cereas alas antiquitas affinxit:
denique in aere puro, vix fortè aues
volarent, saltem minùs commodè,
quia faciliùs traiceretur; sed de his
suo loco.

PROP. CCXXV.

*Multi sunt aeris compressi effe-
ctus: aliquos tantum recenteo, at-
que hinc congero, de quibus passim,
& sparsim alibi.*

1. Flammæ figura conica par-
tim saltem est ab aere compresso,
ut supra explicui cum de igne.

2. Guttulae illae, seu sphaerulae
aquae, tum pendulae, tum in solo
currentes, ab aere compresso tornan-
tur, ut dixi cum de aqua.

3. Item bullae illae, quae in aqua
discurrunt, eandem quoque cau-
sam habent, ut dixi cum de aqua.

4. In Stlopis pneumaticis, vis
aeris compressi singularis est, cum
opera aeris compressi, glans tanto
cum impetu emittatur, ut vim sanè
pulveris tormentarij superare videat-
ur; proh! quantum rei tormenta-
riae sumptibus parceretur, si aer com-
pressus pulveri ac igni substitueretur;
sed de his suo loco.

5. Ad immittendos in vasa cor-
poris humani certos, iussu Medico-
rum, liquores, aer compressus miri-
ficus est, ad educendum verò quid-
piam, aerensus & dilatatus.

6. Iacula aere compresso foeta,
sulphureis substitui possunt; de quo
iam aliàs dictum est.

7. Aer compressus ventum etiam
creat, vbi scilicet erumpit.

8. Aer compressus aquam sur-
sum attollit, ut videre est in fonti-
bus, quibusdam artefactis, quorum

Cc 2 multi